



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Incllyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
proprietary Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Tertium

González Téllez, Emanuel

Francofurti Ad Moenum, 1690

Capvt XXXV. Gregorius IX. (a) Agentinen. Episcopo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74526](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74526)

CAPVT XXXV.

Gregorius IX. (a) *Argentinen. Episcopo.*

Super inordinata ordinatione. *Et infra:* Cùm autem illi sint in Ecclesiis idonei reputandi, qui servire possunt, & volunt in ipsis; consult. r. respondemus, quod pueri, & beneficiati, qui non possunt in eadem Ecclesia deservire, in ea non debent idonei reputari.

NOTÆ.

(a) *Argentinen*] Argentinenſis civitas est in Germania, habetque nobilem Ecclesiam Cathedralẽ, cujus mentio fit infra in cap. *Venerabili*: à principio fuit Canonicorum Regularium, ut referunt Pennotus lib. 2. *hystor. Canonic. Regular. cap. 39. num. 1.* Chopinus lib. 1. mo-

nast. tit. 3. ejus Episcopo Antoldo missa est præfens decisio, qui fuit Dux Trecentis; & licet pacis amantissimus, Henrico tamen Friderici II. filio Ecclesiam vastanti occurrentes, eum profligavit: vixit ad annum usque 1263. Commentarium hujus textus dedi in cap. eam *te de atate & qualitate.*

CAPVT XXXVI.

Idem Archiepiscopo & Magistro R. (a) *Turonensi.*

Causam, quæ inter Aurelianen. (b) Episcopum, & I. de Bleſis Canonicum Sanctæ Crucis super integratione præbendæ ipsius Canonici vertebatur, vobis duximus committendam. *Et infra:* Consultationi tuæ taliter respondemus, quod nostræ intentionis non extitit, ut pro integratione præbendæ supradicti Canonici præbendæ de novo aliqua (c) scinderetur.

NOTÆ.

Chenu in serie Archiep. Turon. num. 71.

(b) *Aurelianen.*] Beatum videlicet Philippum I. ut refert Chenu in serie Episcop. Aurelianen. num. 71.

(c) *Scinderetur.*] Juxta adducta in cap. *majoribus* 8. hoc. tit.

(a) *Turon.*] Ivello videlicet de Matefelon, qui postea fuit Archiepiscopus Rhementis, & anno 1244. post Concilium Lugdunense profectus fuit ad bellum sacrum, ut refert

CAPVT XXXVII.

a Idem.

Venerabilis frater noster (b) Portuen. Episcopus supplicavit, ut cùm quandã præbendam, quæ Argentinen. Ecclesia tamdiu vacaverat, quod donatio ejus erat ad Sedem Apostolicam (c) devoluta, I. clerico (d) contulerit, dum in illis partibus legationis officio fungeretur, suam collationem benigno prosequeremur affectu. Verum procurator Argentini Capituli proposuit ex adverso, quod idem Capitulum hoc audito, (e) consuetudinem allegans antiquam, inviolabiliter observatam, juxta quam nisi nobilem, & (f) liberum, & ab utroque parente (g) illustrem, honestæ conversationis, ac eminentis scientiæ in suum consortium hæcenus admiserat, ne contra hoc fieret (maximè cùm nulla tunc præbenda vacaret antequam monitorias, vel executorias litteras recepisset) ad Sedem Apostolicam appellavit. *Et infra:* Nos igitur attendentes, quod non generis, sed virtutum nobilitas; vitæque honestas gratum Deo faciunt, & idoneum servitorem, ad cujus regimen non multos secundum carnem nobiles, & potentes elegit, sed ignobiles, ac pauperes, eo quod non est personarum acceptio apud ipsum, & vix ad (h) culmina dignitatum (nedum ad præbendas viri eminentis scientiæ valeant reperiri, exceptiones hujusmodi non duximus admittendas. *Et infra:* Discretionis vestræ mandamus, quatenus si vobis constiterit prædictam præbendam vacasse, quando ipsam dicto I. (i) Episcopus contulit memoratus ipsum ad eam recipi faciatis.

D. D. Gonzal. in Decretal. Tom. III. Pars I.

Q

NOTÆ